



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Sent. II. Mat. IX. No[n] est opus vale[n]tibus medico &c. xxj.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

eamq; amarissimam pariter & ignominiosissimam pro nobis pateretur, adhuc impiis & peccatoribus. Quod autem dicitur: Vt omnis qui CREDIT in eum: ostendat Christus, quanta facilitate fructum hunc maximum consequamur: dñ FIDES, res scilicet facilima, exigitur, vt Christo incorporemur, & meritorum eius reddamur consortes. Hac est enim summa Dei benignitas; vt tali medio dignetur nos sua gratia participes facere. Commendatur & huius diuini Amoris magnitudo: quod sine discrimine & exceptione, OMNIS QUI CREDIT in eum, huius fructus particeps esse possit: nempe quod a perditione liberatur, & consequitur vitam non temporalem, sed eternam. Nullus ergo excipitur, nullus excluditur: ex quocunque statu, ex quocunq; lapsu, si credat, perire non timeat. Non enim misit Deus filium suum, vt pro commissis sceleribus mundum condemnaret, quod iuste facere potuisset: sed vt perditioni obnoxius mundus per ipsum salutem consequeretur. Itaque cum adeo valide nos Deus amet: non est quod existimemus eum ullo pacto, aut ullis in periculis defuturum nobis. Vide Roman. VIII.

Ambros. de
Pœnitent. lib.
I. ca. 10.

SENTENTIA II. Matthei 9.

Pharisæi dicebant discipulis Iesu: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? At Iesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiã.

PARACLESIS.

CAPVT
XXI.

MEdico se comparat Christus, ostendens qua ratione mundum hunc tanquam nosocomion ingressus sit: nempe curandi non perdendi gratia, ad curandos

randos scilicet peccatores. Iam quid vspiciam est, quod miseris nobis Christum queat iucundiorē & desideratorem facere? Poterat venire pro merito humani generis, ut iudex: & ecce venit ut medicus. Nec expectat donec vocetur, sed ultro venit: & ipse ad se vocat curandos. Non enim dicit, Veni vocatus à peccatoribus: sed, Veni vocare peccatores. quo quid aliud exprimit, quam animum ad inuadendum propensissimum? Qui ergo etiam ultro ad se vocat peccatores, quomodo reiciet venientes? Minime tamen negligendum est, quod nō simpliciter dicit, Veni vocare peccatores: sed addit, ad poenitentiam. Non enim ideo peccatores vocat, ut peccatores maneat: sed ut desistant, conuertantur & viuāt. Gaudeat ergo, quisquis ille est, quem perpetua damnationis reum adiudicabat conscientia peccatorum. Excidit quippe pietas Jesu omnem criminum quantitatem seu numerositatem. Latetur, quicumque vitis expugnabatur antiquis: siquidem ante faciem vntionis Christi, nullus omnino stare poterit morbus anime, quamlibet inueteratus: qui contritos corde sanat vntione Misericordie sue.

Ezech. 18.
33.
Bernard. ser.
I. in vigilia
Natiuit. Do-
min.

SENTENTIA III. Matthæi 11.

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis:
& ego reficiam vos. Et inuenietis requiem ani-
mabus vestris.

PARACLESIS.

Venite ad me OMNES, inquit, non hic aut ille: sed
omnes, qui curis, qui doloribus, qui peccatis labo-
ratis, venite ad me. Non ut poenas luatis: verum ut do-
lores, peccatāq; vestra resoluamur. Venite: non quia
glorifi-

CAPVT

XXII.

Chrysoft.
Hom. 39. in
Matthæum.